



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stimvlvs Compvnctionis, Et Soliloqvia

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae, 1611

De æstimatione gratiæ Dei. Cap. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45624

tuam à seipsa, ne pereat in periculoso valde prelio passionum suarum, quæ quasi tigres famelicæ currunt ad illicitas prædas suas. Si audieris Domine orationem serui tui, in qua prosternitur tibi adorans infinitam Maiestatem tuam, sacrificabo tibi ardentia igne tuo viscera mea, & cantabo in æternum super mel dulcissimas misericordias tuas.

De æstimatione gratiæ Dei.

CAP. IV.

SI linguis hominum loquat & Angelorum, ô fili Dei viui, & sapientia æterni Patris tui, non potero dignè æstimare magnitudinem, altitudinem & decorem gratiæ tuæ. O Domine, si dignaretur infinita bonitas tua erudire me ignoran-tem, vt cognoscerem diuitias eius, & amarem formam illam quæ est participatio formæ Dei: Domine ex ijs, quæ docuisti me balbutiens dicam, quæ vtcumque conferant ad æternam laudem tuam. Quid est Domine, quale bonum est diuina gratia tua, nisi candidissima vestis, & corona dulcissime pulchritudinis, qua ornatur anima iusti sponsa tua? Est or-
namentum

namentum pretiosissimum, quo induitur
 filia Regis, cuius omnis gloria est ab in-
 tus, quamuis (vt decet Reginam) sit cir-
 cumamicta varietatibus. O quam inæsti-
 mabilis decor, qui si videretur omnia
 corda lapidea peccatorum emolliret! O
 quam ineffabilis suauitas, qua delectatur
 cor Altissimi Filij Dei! Omnia mundi
 imperia, omnes diuitie, omnis hominum
 gloria, sapientia, & fortitudo, nihil est,
 si cum diuina gratia tua comparetur. Ego
 scio Domine, me non posse dignè loqui
 de tam ineffabili bono: & propterea de-
 sidero illuminari à te, vt saltem intelli-
 gam excellentissimam dignitatem eius
 quantum mihi satis est ad quærendam, &
 amandam totis visceribus gratiam tuam.
 Melius enim mihi est amare speciẽ eius,
 quã de illa abundãter, vel elegãter loqui.
 Qua in re vellem, mitissime Redemptor,
 dissimilis esse hominib⁹; qui quærũt gra-
 tiam regum terre super aurum, & lapides
 pretiosos. Certissimè enim scio, gratiam
 illam non esse multo pretio dignam,
 cum in Principibus illis non sit salus. Gra-
 tia verò tua, Rex pacifice, infiniti pretij est
 cum in te sit salus, & æterna vita mea, pro
 qua quilibet bonus negotiator dabit om-
 nem substantiam domus suæ, & quasi
 nihil

nihil despiciet eam. Reuela, Domine, oculos meos, & cōsiderabo mirabilia magna, quæ sunt in lege gratiæ tuæ: & antepōnam amabilissimam formam eius omnibus amoribus terræ: vigilaboque & laborabo pro consortio illius omnibus diebus vitæ meæ. Vtinam imprimeretur cordi meo estimatio iusta gratiæ tuæ, Domine, vt nihil cogitarem, loquerer, vel operarer, nisi quod requirit dulcissima lex amoris tui!

De imitatione Christi.

CAP. V.

OCandor lucis æternæ, Iesu Christe Rex, & præceptor vitæ meæ, quot magistri prurientes auribus discurrent per scholas hominum, quærentes docere alios, cum ipsi ignorent te, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & sciētiae Dei! Quomodò audent dicere alijs iustioribus se: Imitamini nos. Ego certè non sequar istos præceptores, qui perdunt animas suas, & alienant à te infælices imitatores suos. In consilium eorum non veniat anima mea, ne fortè surda fiat ad secretas voces, & inspirationes tuas. Tu Domine
reuelasti